

IOANNES TERTIVS

Dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogittiæ, Kijouiæ, Vol[illegible]niæ, Podoliæ, Podlachiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ Czerniechouiæq[ue].

Significamus præsentibus Liter[illegible]stris, quorum interest, Vniuersis et Singulis. Quæ sint Clarissimæ in hoc Regno Potocciorum Dom[illegible], in Reges Antecessores Nostros, Nosmetipsos, et totam Rempublicam merita, is nescit, qui Annales gestorum Polonorum non reuoluit, ac Maiores ex hac Domo genitos semper amantissimos Patriæ Ciues prudentes Toga Senatores, Fortes Sago bellicosissimos Exercituum Duces, illorumque trophæa, et victorias non legit, neque miratus est. Et omittantur licet alij de hac Insigni Familia belli Duces. Nunquid pridem Magnificum Stanislaum Potocki, Palatinum Cracouiensem, Supremum Regni Exercituum Ducem, triginta annis Clavam Supremam, in arduis Reipublicæ necessitatibus, nimirum sub tempus Incursionum Cosaccorum, non minus feliciter quam fortiter gestantem defleuit Patria, qui in eo Dignitatis, et potestatis gradu collocatus, omnem eam operam et Studium, in id conuertebat, vt Maiestas Principis, et Respublica cum suis Libertatibus illæsa perpetuo conseruaretur. Qui Tantus Vir, non degenerem virtute Sua reliquit prolem. Illustrem et Magnificum Andream Potocki, Castellanum Cracouiensem, et Campi Ductorem Regni, Virum in omnibus Expeditionibus bellicis, Nobis et Reipublicæ quâ Sanguine Suo, quâ sumptibus, et obsequio meritissimum, nec tantum ipsemet pro conseruatione Dignitatis Maiestatis Nostræ proprium effundebat Sanguinem, Sed etiam Carum in prælio Viennensi, cum Turca, Magno totius Europæ hoste immolauit filium Stanislaum, Capitaneum Haligensem. Tantum itaq[ue] Heroem, tot virtutibus Sanguinis Successione, et rebus præclarè gestis decoratum, postquam Cæli ex oculis Nostris, et Reipublicæ ad perpetuam post tot labores pro Republica exhantlatos requiem rapuerunt. Nobisq[ue] et Reipublicæ grande vulnus doloris inflixerunt. Iuremeritò vt surculo vno auulso, non deficiat alter, et Simili Frondescat Virga Metallo conuertit in se animum Nostrum Regium, Seruatus in grande claritudinis Domus Suæ adiumentum, **Magnificus Felix Potocki** Palatinus Cracouiensis Sokalien[sis] etc Capitaneus, Hic tempore Electionis Serenissimi Michaelis Antecessoris Nostri, protunc Subdapifer Regni, Ordinis Equestris, Moderator et Mareschalcus, Vota et Suffragia Populorum, pro eligendo Principe felicissimè collegit, À quo Palatinatu Siradiensi, à Nobis verò Cracouiensi ornatus exstitit, Quas Senatorias Dignitates amplas, tum Serenissimi Antecessoris Nostri, tum Nostris temporibus ita meritis, et mente munerum capaci impleuit, vt Semper Maioribus natus videretur munijs. Ex iustitia proindè et æquitate dignum iudicauimus, vt eidem Clavam Exercituum Regni Campestrem post Fata præfati meritissimi illius Fratris Illustris et Magnifici Andreæ Potocki Castellani Cracouiensis vacantem daremus et conferremus, prout defacto cum omnibus Iuribus, prærogatiuis [illegible] obuentionibus, ad hoc Officium, ex antiquo Spectantibus damus, et concedimus, præsentibus Literis Nostris, idq[ue] ad extrema Vita[illegible]sius tempora, vel incompatibilis alicuius Dignitatis assecutionem. Quod omnibus quorum interest, præsertim verò Dignitarijs, [illegible]fficialibus, Vniuersis Regni Poloniæ, nec non Vniuersis Exercitus Regni Officialibus Militibus, Cuiuscunque præeminentiæ ex[illegible]stibus notum esse volentes mandamus, vt Prædictum **Magnificum Felicem Potocki** Palatinum Cracouiensem, [illegible] vero, et legitimo Campiductore Regni habeant, et agnoscant, eiq[ue] de loco, Iuribus, prærogatiuis, et obuentionibus, ad hoc munus [illegible] antiquo pertinentibus respondeant, et responderi faciant. Pro gratia N[ost]ra Regia. In Cuius rei fidem, præsentes Manu Nostr[illegible] subscriptas, Sigillo Regni communiri mandauimus. Datum Zołkiew die II Mensis Decembris Anno Domini MDCXC[illegible] Regni verò Nostri Anno XVIIII.

1692

Ioannes Rex

Hieronimus Michael Denhoff Starzgardiensis Capitaneus [illegible] Sigilli Regni [illegible]

